...laus
...poliensis.

Leopol. Scholae Metrop. Stud. Juv. Applausus laetitiae publicae in solenni ad cathedram metropolitanam adventu D. Stanislai Grochowski Archiep. Gnesn.

APPLAVSVS

LÆTITIÆ PVBLICÆ,

IN SOLENNI

Ad Cathedram Metropolitanam aduentu,

Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini,

D. STANISLAI DE GROCHOWCE GROCHOWSKI,

Archiepiscopi Leopolieñ. Abbatiæ Sieciechouieñ. Administratoris perpetui,

NOMINE

Ecclesiæ, Cleri, Senatus, & Vniuersi Populi LEOPOLIEN.

A

Studiosa Iuuentute Scholæ Metropolit: Leopolieñ. ardentissimo affectu, cultu debito, & submissa animi veneratione

FACTVS.

CRACOVIAE, Typis Francisci Cæsarij. 1635.

IN SYMBOLVM
Illustrissimæ Familiæ Grochouianæ.



Nescio quo cælos animantia iure replêrunt,
Duxq́; Aries primum quâ capit arte polum
Si cælos possunt animantia bruta mereri,
Inter Sydereas & rutilare faces?
Cede Aries cælo; nam longè dignior Agnus
Qui meruit cælum, Grochouianus adest.

Franciscus Volphouic,
Stud: Scholæ Metrop: Leopol.

Illustrissimo ac Rndissimo Domino,

D. STANISLAO

A GROCHOWCE,

GROCHOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

Archiepiscopo Leopolien. Abbatię

Sieciechouien. Administratori perpetuo.

&c. &c.

Domino & Mæcenati Ampliss.

ORbis ille terrarum victor Alexander, ob res fortissimè ac fælicissimè gestas Magnus appellatus, cum celeberrimam Semiramidis Vrbem, vltro sibi fasces submittentem ingrederetur, tanta Ciuium omnium cum lætitia, tantoq; populi vniuersi cum applausu exceptus est, vt omnes omnium itinerum ambitus, quibus ad Vrbem aditus patebat, herbis ac floribus gratissimum spirantibus odorem sternerentur; ædificia sertis varia simbola victoriarum præferentibus coronarentur: altaria thure suauissimisq; suffimentis replerentur. Nec immeritò. Tanti enim hospitis ac triumphatoris fauorem ac propensionem, prudentes illi incolæ Ciuitatis, omni splendido apparatu, omnibusq; diuitiis quas in illius aduentum deprompserant, digniorem preciosioremq; ducebant. Neque nos Illustrissime Domine, à consue-

à cõsuetudine pulcherrima aberramus, cùm Tibi ad hanc magnificam ingressus Tui pompam condecorandã, non flores (quibus Autumnus destituitur) sed propensissimas gratulationes, acclamationesq́ prosperrimas meritò lubenterq́ fundimus. Nostrum enim Tibi candorem, nostra vota, faustaq́ omina, quæ à Deo glorioso auspicamur, officiosum in obsequium consecramus ac dedicamus. Emarcuerunt illi vel vnius diei spatio flosculi, quos superba antiquitas, ex Adonidis aut Babilonicis pensilibus hortis decerpsit: Tuæ virtutes suauissimæ, quas in Ecclesiæ & Reipub. viridario propagasti apud omnem posteritatem reflorescent: illa verò iustitiæ, pietatis, prudentiæ, liberalitatis lumina, velut ad aras gloriæ perennis in panegyricis lucebunt, ad Tuũ Illustriss: q́ Tuæ Gentis decus, Patriæq́ ornamentum sempiternum. Accipe igitur has nostras vultu sereno primitias, quæ quanquam tenues sunt & pueriles, sub Tuo tamen patrocinio adolescere volunt, & ad maturitatem suam peruenire. Illud enim votis ardentissimis exposcimus ac desideramus omnes, vt quemadmodum Te diuina benignitas, felicissimis auspiciis Cathedram hanc ingredi, amplissimumq́ honorem possidere voluit: sic Te ad laudis suæ incrementum eximium, commune Reipub. Regniq́ Sarmatici ornamentum, & omnium bonorum solatium quàm diutissimè incolumem conseruet.

Illustriss: Celsitud: V.

deditissimus Cliens

Zacharias Záiąckowski, Stud:

Scholæ Metrop: Leopol.

APPLAVSVS LÆTITIÆ PVBLICÆ.

Ode Tric. Tetr.

ECCLESIA.

DIlecte Diuis, Optime Pontifex,
Ecclesiæ lux, curaq; maxima,
Fulcrumq; Regni, lausq; Gentis
Grochouiæ, columenq; summum.
Pro Te Tonanti quas dabo victimas,
Quæ vota reddam, cælitibus bonis?
Aut quas rependam, & vnde grates
Cælicolûm meritò Parenti?
Rectè beatam me modò dixero,
Rectè Dearum de medio vnicam
Certare pro Cæli Corona
Cum Supero potero Senatu.
Tu spes salutis firma satis meæ,
Rerum mearum, tu columen meum,

Tu firma turris, tuq́ murus,
Præsidiumq́ mei popelli.
Tu me nefandis faucibus hostium
Eliberabis; qui malè conscia
Me mente quassant, & supremum
Exitium mihi moliuntur.
Dissentientis tu caput infidum
Calcabis ergo fortiter Hæresis
Ceruice pressâ, & victor Orci
De styge percipies triumphos.
Deprœliantûm cura fidelium,
Optate Pastor, Sponse meus, meus
Patrone, Tutor, Dux, asyllum,
Eximiumq́ decus Senatus.
Exurge Diuis nate fauentibus,
Exurge, & orto Sole serenior
Optatus adsis hospes, eia &
Progredere auspiciis secundis.
Procede, cælo mi penitus date,
Procede Pastor, Templa Tibi patent,
Aræq́ fumant: prosper eia
Ocyus ô propera, & venito.

Regnum

Regnum occupato Metropolis Tuæ,
Sacrosq́ Fasces Pontificum cape,
Diuina quæ iam mens ab æuo,
Pro meritis Tibi destinauit.

Stanislaus Kuczkowsky.

CLERVS ARCHIDIOECESANVS.

Ode Tric. Teri.

PErge nouos meritis Grochoui sumere honores
Perge Archipræsul præmium
Sumere sollicitum.
Altiùs euectus, quantum virtutibus ipsis
Is eminenter altiùs
Maior adhuc, & adhuc:
Tantum suppostis humeris, quibus æthera portas,
Cœlumq́ sustines diu,
Cura venit grauior.
Prende pedum bone Pastor, onus Tibi crescit Olympo
Maius, sed & præstantius
Fertq́ refertq́ decus:
Et Crucis hoc instar quod habes Tibi cœlitùs ortum
Insigne, spem victoriæ
Spondet, opemq́ fouet.

Dirigere

Dirigere vt valeas animas mentesq́ piorum,
Cæli ad ſuprema gaudia,
Corrigere & vitia.
O quem Te memorem, queîs tandem laudib. æquem
Eccleſiæ Senator, &
Magne Pater Patriæ.
Terrigenamné loquar potiùs? num ſydere celſo
Miſſum à Deo diuinitùs
Dixero cælicolam?
Nam par Aligeris cæleſtibus eſſe videris
Vitæ Tuæ innocentiâ
Moribus atq́ bonis.
O quàm Te pietas ſummo commendat Olympo,
Deſiderabilem, & facit
Cætibus Angelicis!
O quàm Templorum cultus, quem ſufficis ipſe
Optabilem Te comprobat
Patribus ingenuis!
O quàm Te dulcis candor mitiſſime Princeps
Vbique fert amabilem,
Compita per populi.
Difficile eſt dictu, quantum lætetur Olympus
Te glorioſo Præſule
Templa regente Dei!

Diffi-

Difficile est narrare Pater, quæ Ecclesia mater
Te præsidente aris Dei
Gaudia percipiat!
Incensi pro Te templo ardent thuris odores,
Aræq; feruent hostijs,
Muneribusq; piis.
Exultat cunctus populus, plaususq; frequentes
Exercet in medio foro
Lætitiam ingeminans.
Gratandoq; sibi tantum Patrem, atque Patronum,
Ad inuicem proclamitat
Carmine, voce, tubâ.
Euge Pater Patriæ, sublimem ascende Cathedram
Tibi parauit quam Deus
Pro solidis meritis.
Archisacerdotum dignissime Præsul, amicum
Ecclesiæ, Senatui,
Insere ritè caput.
Archisacerdotum cape fasces Archisacerdos
Sublimis eminentiæ,
Possideasq; Thronum.
Te Deus, & pietas, merita atq; ingentia caræ
Quæ præstitisti Patriæ
In decus eximium,

Te Deus & pietas, indefessiq́ labores,
Quos præstitisti Russiæ,
Hoc statuere loco.
Salue concessum de cælo Sydus amænum,
Salue Soli lux patrij
Russiadumq́ iubar;
Redde diem populo, patriæ solesq́ serenos,
Proculq́ pelle liuidæ
Hæreseos tenebras.
Ornasti Præmislanis sacra fana Colossis
Satis superq́ prodigus
Ad pietatis opus:
En modo tempus adest, vt iam Metropolis ista
Per te Patronum Maximum
Iustitiæq́ Ducem,
Luce piâ rutilet, surgatq́ ad sydera muris
Aheneisq́ mænibus:
Vt bona posteritas
Miretur generosi animi monumenta reposta,
Satisq́ liberalia
Præsulea æde sacra.
Quam simul ingrederis collapsam educis ad astra, &
Manu restaurans Dædala
Aere micare iubes.

Pro-

Prosper ades Pollux nobis, Duce & auspice Christo
Progredere Præsul prosperè
Magnus honore pio:
Dumq; triumphabit Rex inuictissimus orbe
Teterrimis ex hostibus,
Sceptra Polona tenens:
Pastor in Vrbe Leonis cum grege viue beatus
Ex Hæresiq; & Tartaro
Summa trophæa refer.
Hoc Tibi GROCHOVI Præsul dignissime carmen
Tui triumphi gratiâ
Clerus in Vrbe canit:
Tu Agnelli mitis cuius tutaris honores
Fac aureum vellus pio
Fulgeat auxilio:
Efficiet precibus, votis cælumq; mouebit,
Agnellus hic potentior
Cornibus astra petat.

Ioannes Mirecki.

SENATVS LEOPOLIEN.

ILLVSTRISSIME *Pontifex adesto*
Fælix auspicio sereniore

 Noster

Noster namq; Leo pedes ad imos
Agnellum obsequio modestiori
Prensat, nobilioribusq; portam
Infractam Hospitibus libenter Vrbis
Pandit; Te inuitat omnis & Senatus
Votis sollicitis; adesto Præsul,
Nostrum præsidium, decusq; nostrum,
Nostrum delitium, iubarq; nostrum.

Dominicus Ielitowic.

POPVLVS LEOPOLIEN.

AGnelle GROCHIORVM
Cum grege plaude tibi,
Plaude, plaude, plaude, plaude,
Fælix nimium pastore tuo,
Nulla luporum — Monstra timebis,
Nulla Leonum — Antra pauebis.
Nam centocellus Argus
Pro grege Teq; vigil
Excubat per omne tempus.
Fælix nimium Pastore tuo,
Nulla luporum — Monstra timebis
Nulla Leonum — Antra pauebis.
Ingens canum caterua
Horrida monstra Stygis
Vrget, vrget, vrget, vrget.

Fælix

Fælix nimium Pastore tuo,
Nulla luporum Monstra timebis,
Nulla Leonum Antra pauebis.
Leæna sic Catellos
Arcet adire suos,
Sæua frendet, irruitq́;.
Fælix nimium Pastore tuo,
Nulla luporum Monstra timebis,
Nulla Leonum Antra pauebis.
Sic ille pro Tonantis
Agmen in Hæreseos
Sæuit, instat, & ferocit.
Fælix nimium Pastore tuo,
Nulla luporum Monstra timebis,
Nulla Leonum Antra pauebis.
Pro publico paratus
Nomine proq́; Dei
Cum STANISLAO mori ter.
Fælix nimium Pastore tuo,
Nulla luporum Monstra timebis,
Nulla Leonum Antra pauebis.
Agnelle GROCHIORVM
Cum grege plaude tibi,
Plaude, plaude, plaude, plaude,
Fælix nimium pastore tuo,
In Paradisi Mollibus hortis,
Cum grege Christi Pascere lætus.

Illic inuſitatis
Perfruere Agne roſis
Liliisq; purpuratis.
Fælix nimium Paſtore tuo,
Florida paſces, *Paſcua Chriſti,*
Altus Hymettis *Sanguine ſcriptis.*
Illic ſub arbore alta
Fructibus eximiis
Nutriere conditoris.
Fælix nimium Paſtore tuo,
Saucius æſtu *Purpurea illic*
Flumina Chriſti *Dulce leuabis.*
Torrente raptus iſthoc
Saltibus exilies
Æternitatem ad ipſam.
Fælix nimium Paſtore tuo,
Sic ſatur Agnus *Potus & Agnus*
Aurea cælo *Cornua pones.*

Ioannes Czechowic.

APOLLO cum MVSIS.

Agno Grochouiano fauſta omina occinit.

ARchiſacerdotij dum ſumma cacumina ſcandit
Agnus GROCHOVII, turba nouena faue,
Ioq; cum plauſu Pæanaq; dicito lætum
Præſideat fælix Archiſacerdotio.

Martinus Iánkwic.

VRANIA.

VRANIA.

Dux ouium Christi Sacer ô Agnelle triumpha,
Nomine cumq; Tuo par simul omen habe.
Agnus erat Christus, Christum fac indue, quod si
Esse nequis Christus, sis Comes Agne Dei.

Nicolaus Zichinius.

TERPSICHORE.

Agnus es, & mitis; Stygius lupus instat ouili
Ne prædetur oues, cornua tolle tua.
Mansuetudo placet Superis, mansuescito cunctis,
Te nunquam mitem sentiat Hæreticus.

Ioannes Rádosz.

CALLIOPE.

Agnus præda lupo mitis fit sæpè rapaci,
Præsertim Pastor si minus est vigilans.
Tu vigilem nactus Pastorem Agnelle futurus
Præda feræ non es: sit tibi præda Lupus.

Ioannes Vbaldin.

CLIO.

Fæcundis nimium Agnelle ô circumdate lanis
Vellere sic semper nobiliore fluas.
Vt quod sæpè soles largè conferre quotannis,
Pauperibus laceris corpora nuda tegas.

Iacobus Czeczowic.

EVTERPE.

Quæ fabu Grochouio, tam fælix nomina fecit
Elysio nasci debuit illa solo.
Agne faba haud vlla est quâ dignè pascere terris
Pro te cælestis pascua Pastor habet.

Gaspar Iozephowic,

THALIA.

Inter terrenas pecudes, Diuum inter & aras
Pasceris Agnellus GROCHOVIANE sacer,
Fac pinguesce Deo, saturareq́ pane perenni
Sic pastus, cælo, mensa futurus eris.

Ioannes Zichinius.

ERATO.

Quid Tibi pro tantis meritis Agnelle precabor,
Pro grege dum nimium Dux gregis inuigilas.
Cælestis nunquam desit Tibi copia Cornu,
Æternæ Cornu ô Agne salutis habe.

Martianus Gloskowski.

POLYHIMNIA.

Agne rubro campo & prato spatiare virenti
Sol tibi præsto rubet Relligioq́ viret:
Vnde tuo pietas nunquam exarescet ouili,
Sic Soli æterno proximus Agnus eris.

Vrbanus Czechowic.

MELPOMENE.

Candidior niuibus Cygnis candentior ipsis
Agne nitore præis candida quæq́ tuo:
Quam mage candidus est tuus ô Agnelle Patronus,
Cuius tu rutilas lumine perpetuo.

Dominicus Vbaldin.

APOLLO AD AGNVM.

Lusimus ô Agnelle satis, tibi lusimus vsque
Fac age fronte bonâ ludicra nostra feras.
Ipseq́ cum gregibus Christi, cælestibus oris
Æternum ludas nobiliore modo.

Casimirus Szulc.